



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De officio iudicis delegati. Consilium XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

tionem; & ne quidem ex illa gaudere privilegio triennalis possessionis, *Gloss. pragmat. sanct. in V. collatum §. 1. tit. de pacifi. posses. Rebuff. in praxi benefic. parte 1. tit. de forma Vicariar. nu. 6.* * Quod potentius respectu dicti Vicarii dici debet; ex eo quod hac collatio per eum sit facta, postquam pluribus annis dictus Canonicatus per praxiam mortem vacasset: quæ diuturna vacatio in omnem eventum induxisset devolutionem collationis ad superiorem, *c. Literas, De suppl. neglig. Pralat. c. Nulla De concess. preben. quæ devolutio cuicumque ordinario Collatori eripit potestatem, quando eumque conferendi post tempus huiusmodi devolutionis, c. ult. De suppl. neglig. Pralat. Rebuff. in d. praxi parte 1. tit. de de devolut. nu. 27.* * Quamvis in iuris veritate nulla fuerit aut esse potuerit huius sic vacantis Canonicatus devolutio, si mors dicti D. Lucæ contigit vacante dicto Episcopatu; quia vacante Ecclesiâ, futuri Pralati negligentia nulla argui potest; sine qua nulla sit devolutio, *d. c. Nulla: ut nec illa sit in prejudicium illius qui quoque modo iussu impeditus est, & minime qui de facto vel de iure conferre non potest, c. Quia diversitate de concess. preben. d. c. illam sine.* † Ceterum hanc huius collationis nullitatem & inutilitatem sustulisse videtur sequens Reverendissimi Domini Episcopi tacita approbatio & ratificatio; per quam hanc Vicarii collationem D. Adriano factam, non tantum non improbat; sed literis etiam ad Ducem Parmensem scriptis confirmasse dicitur: quæ approbatio sufficiens esse videtur ad diluendum hoc vitium male factæ collationis per dictum Vicarium, *Rebuff. in d. praxi p. 1. tit. de forma Vicariar. nu. 11.* cum sola patientia pacifico possessori accommodata hoc casu sufficiat, *d. c. Literas de suppl. neglig. Pralat.* & ex inutili titulo acquisita possessio beneficii, ex superveniente iusto titulo colorati & roborari possit, saltem ex die factæ approbationis, seu adhibita patientiæ, *Glossa in V. patientia in d. cap. Literas. Bart. Ang. Alex. & alij in l. 3. in princ. de acquir. posses. Decius cons. 191. In causa quæ agitur in fin. Ioan. Bapt. Ferrer. consil. 1. nu. 8.* per quam prius discolorata possessio efficitur colorata: ita ut nobis videatur, Dominum Adrianum totâ conscientia suam possessionem continuare posse, nec debere cujusquam alterius impetrationem metuere.

Interim tamen pro extrema & indubitata certitudine, & ad eximendum omnem scrupulum, potest D. Adrianus à S. D. N. Papa impetrare novam provisionem, cum clausula perinde valere, *Rebuff. in d. praxi p. 1. tit. De nova provisione: impetrando illius solam nudam signaturam, quæ ipsi omnem scrupulum conscientie eximet, etiam non expeditis bullis super huiusmodi nova provisione; quam expediri facere poterit, si vel quando eumque ei ab aliquo controversia movebitur: quod non facile futurum speramus post tam longam Domini Adriani pacificam possessionem, & dicti Reverendissimi Domini supradictam approbationem & patientiam.* *Conf. Wamel. Tom. I. lib. 1. tit. 1. quod dicitur de rebus in d. praxi p. 1. tit. de forma Vicariar. nu. 11.*

De officio iudicis delegati.

SUMMARIVM.

Iurisdicção delegati prorogabilis.

1. Tertius ad causam beneficiale comparsens admitti debet.
2. Delegati ad universitatem causarum iurisdicção prorogabilis est.

CONSILIUM XXXIX.

NON recte D. Ioannes Stabulonijs reculat ad hanc beneficiale causam, de & super Capellania Sanctissimæ Trinitatis in parochiali Ecclesia de Gesto S. Ioannis admittere Gerardum Mossis, ex prætenso defectu iurisdictionis D. Conservatoris, quod dictus Gerardus non sit suppositum Universitatis Lovaniensis. Neque enim in hac causa constituitur ius iurisdictionis ex persona Gerardi, sed ex persona M. Gisberti Danielis; qui ut suppositum dictæ Universitatis, ex conservatoriali iurisdictione ad iudicium evocavit Robertum Miste colonum dict. D. Ioannis, pro quo idem D. Ioannes interveniendo dictum M. Gisbertum compulit ad deductionem iuris, quod præten dit ad dictam Capellaniam; & præterea ad eum excludendum ex adverso ab asserto suo potiore iure ad eandem Capellaniam: sic non tantum agnoscendo dicti D. Conservatoris iurisdictionem contra se, sed illam fundando, & asserendo adversus dictum M. Gisbertum; qui debitorum non sit, quia saltem ex prorogatione dicti D. Ioannis præfatus D. Conservator sit competens Iudex in hac causa, *l. 1. c. 2. de iuric. c. Significasti de foro compet. ** Et quamvis neque dictus M. Gisbertus, neque M. Ioannes hunc Gerardum ad hanc litem vocari fecerint; nil tamen prohibet, quod minus pro assertionem & defensionem iuris sui, quod ipse potentius ac dictam Capellaniam præten dit, ad hanc litem comparere, & triangularem processum facere potuerit: ex elegante & aperta traditione Glossæ, *in c. Constitutus in V. produxisse de testib. & ibi Panorm. nu. 1.* quæ docet duobus super aliqua re litigantibus, tertium ad eandem litem pro suo interesse comparere, adeoque se admitti petere posse, eumque audiendum & admittendum esse, quia illius interest. Quam traditionem latius assumens Innocentius, *in cap. Temois de sponsal.* dicit id non tantum in prima, sed & in secunda instantia seu iudicio appellationis fieri posse, *l. 1. à quo fundus ff. De rei vindicat.* imò etiam post sententiam latam, in executione iudicati, *c. Cum super De sent. & re iudic. †* Idque perinde coram iudice delegato, ut coram ordinario, etiam si alioqui delegatus iudex tertio sic comparsens, nec adversus illum videtur datus esse iudex, *l. 1. à Divo Pio §. Si super rebus de re iudic.* Et hunc esse notabilem casum, quo delegati iudicis iurisdicção etiam prorogari & extendi potest, licet alias regulariter delegati iurisdicção ita prorogabilis non sit, *c. P. & G. de off. iudic. deleg. Permittitur enim id ratione connexitatis causarum,*

ne de

ne de eadem re apud plures iudices, aut pluribus iudicijs agere necesse sit; & commodius sit inter omnes, quos causa coniungit uno iudicio, unaque cognitione causam peragi, l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eund. ind. eatur pavor. c. Veniens nu. 8. & ibi Felin. nu. 16. de testib. De quo in proposita lite dubitandum non videtur, ob id, quod D. Ioannes Sabulonium procuratorem constituerit indeterminatè ad hanc causam; & non specialiter aut restrictè adversus M. Gisbertum duntaxat; & sic perinde adversus tertium vel tunc vel postea comparentem, ut adversus M. Gisbertum citari procurantem. Ita ut hic cesset illa dubitatio, quam Collector decisionum auditorij Rotæ Romanæ movet, decis. 456. Si causa committatur, alias est qd. sub tit. De procurat. an procurator Rei ad causam citati specialiter constitutus contra Actorem citari procurantem, tertium ad causam admittere debeat, propter defectum mandati adversus tertium postea Reo absente comparentem? Quia defectus iste hic argui non potest, propter generalitatem dicti mandati ad totam causam; cui ut hic Gerardus adversus M. Gisbertum citari procurantem, ita quoque adversus D. Ioannem Opponentem se potest adiungere, non tantum alteri litigantium se adiungendo, verum etiam per se & pro suo speciali titulo, & interesse adversus utrumque conjunctim & divisim jus suum asserendo vel defendendo. Potissimum in duplicibus iudicijs beneficiis, ubi plures jus ad idem beneficium pretendunt, & Actoris & Reorum partes omnes ex æquo sustinent: ut est in familia eriscundæ, & alijs similibus duplicibus iudicijs, d. l. 1. ff. de quib. reb. ad eund. Ind. eatur. Ut mirum & absurdum videri non debeat, si non tantum adversus M. Gisbertum, cuius nulla hac in re est contradictio, sed & adversus D. Ioannem Sabulonium hic tertius comparens admitti debeat; ex quo perinde hic, ut ille, de titulo & jure ad hanc Capellaniam contendendo Actoris loco sit: potissimum eo etiam considerato, quod hic tertius in exordijs causæ compareat; & tam citò de suo bono jure ac illi de præteritis suis titulis promptè per exhibitionem Articulorum & instrumentorum debeat; & sic per ejus comparisonem causa non retardetur, sed paribus passibus triangulariter decurrere possit; d. decis. 456. & ibi Ant. Maria Papazo in addit. Cassandorus decis. 1. De except. Felin. in d. cap. Veniens.

Officium itaque Reverendi D. Conservatoris erit, ut hunc tertium comparentem pro suo interesse admittendum esse decernat, tam adversus D. Ioannem Sabulonium contradicentem, quam adversus magistrum Gisbertum non contradicentem.

De officio iudicis delegati.

S V M M A R I V M.

Jurisdicção delegata.

1. Delegatio iudicii quomodo probanda sit.
2. Conservatorum iurisdicção quomodo sit restricta.
3. Exempti qui subsunt quando exemptionis privilegio

gaudeant.

4. Subiectio unde arguatur.

5. Privilegium unius consortis alteri non prodest.

CONSILIVM XL.

QUOD nulla Reverendo D. Abbati S. Gertrudis in hac causa, quam Paulus Keysermans, & Nicolaus Lenaerts, assistente eis D. Liberto Bollen, ut & tanquam magistri fabricæ, & mensæ S. Spiritus loci de Beets, adversus Gerardum T'sroyen citatum, competat iurisdicção, ex eo primum liquet, quod de literis Apostolicis Conservatoris ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, Domino Abbati non constet; & non constituisse probetur per decretum quintæ Iulij in hac causa latum; quo postquam in hac causa ultra annum litigatum esset, citra tamen litis contestationem, dilatorijs & declinatorijs exceptionibus adhuc locum habentibus, l. ult. C. de except. etiam post editum, desiderante Reo, libellum, l. Non videtur de iud. ordinatum fuit, ut Actores literas conservatoriales exhiberent; nihil facientibus quibusdam literis citatorijs, seu fulminato processu à Reverendo Domino Petro Was præfati Domini Abbatis prædecessore olim omisissis, & in hac causa ex alio processu verius repetitis, quàm exhibitis: istæ enim literæ cum ad hanc causam, aut ad partes hujus causæ, non pertineant, morte dicti Domini Petri inefficaces effectæ sunt, c. Si delegatus c. Si super, & utrobique gloss. de off. iud. delegati; sic quod sine nova præsentatione originalium bullarum, aut sumpti seu transumpti ex originalibus bullis facti, Reverendo Domino Abbati moderno nulla possit competere iurisdicção;

† mandatum enim delegatorium iurisdictionis regulariter probandum est, vel per ipsum originale, vel per exemplum legitime ac solemner scriptum ex originali, pavor. in c. Cum in iure peritus, nu. 6. De off. & potest. iud. deleg. Lud. Roman. cons. 336. Circa propositum num. 7. De quo minus hic dubitandum est, quod per copiam bullæ, quam procurator Actorum in hac causa exhibet, id expresse exigatur, ut scilicet exhibeatur originalis bulla, vel transumptum ex ea. Quod cum in hac causa dici non possit, quid mirum si Reus contra regulas juris, l. Iuri ordinem C. de iurisd. om. iud. ex foro domicilij sui ad eum, qui nulli dictorum agentium iudex est; evocatus, de defectu iurisdictionis objicere possit ex defectu præsentationis originalis bullæ, dicto D. Abbati tactæ, aut legitimi transumpti ex illa? Ad cujus transumpti solemnitatem cum plura requirantur, c. penult. & ult. & ibi Doct. de fide instrum. quæ in copia per procuratorem Actorum exhibita, seu repetita non conspiciuntur; nihil huiusmodi copia ad fundandam Reverendi Domini Abbatis iurisdictionem efficere potest.

Deinde etiam si originalis bulla, aut solemne transumptum ex illa Domino Abbati debitè exhibitum esset, eaque omnia, quæ per decreta Concilij Tridentini circa abrogationem Conservatoriarum statuta sunt, sess. 14. de reformat. c. 5. cessarent; & dictæ bullæ tenor latius pateret, quàm communis